



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio V. Vtrùm suppositalitas entis composita, sit simplex, vel
composita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quaest. V. Vtrum supposit. compositi, &c. 85

actio propria vnus personae in illa natura non attribueretur alteri, sed quaecumque propria actio Dei communicatur homini, & praedicatur de illo, & sic dicitur hic homo creat, hic homo glorificat, hic homo est Filius aeterni Patris, hic homo est infinitus & caetera praedicationes, quae licet non sint actiones, sunt tamen propriae Dei: item actiones propriae hominis attribuntur Deo, seu vt melius loquar, omnes praedicationes propriae hominis, vt pati, vapulare, mori, ambulare, sudorem emittere, loqui, & exclamare, seu genere: ergo signum evidens est in Christo Domino, non dari distinctionem personarum, ac per consequens nec personalitatem.

Item quia licet illud mysterium sit supernaturale, tamen relictio proptij suppositi esset nouum miraculum, & extraordinarium mysterio Incarnationis, quod non esse factum recte colligitur PP. dum nec scriptura illius meminit, nec necessitas cogit, imo quod magnam confusionem afferret mysteriis, ob quae Deus naturam assumpsit humanam, itaque ex definitione Ecclesiae, Christum esse; nam personam euidenter infertur non retineri in humanitate propriam substantiam; Ecclesia autem fuit mora ad eam definitionem ex modo quo homo dicitur Deus, & Deus homo, & operationes Dei tribuntur homini, sine villo discrimine. Ad vltimum constat ex dictis.

QVÆSTIO V.

Vtrum supposititas entis composita sit simplex vel composita.

SECTIO I.

Sententiae aduersariorum proponuntur.

- 1 **P** RIMA sententia asserit naturam depositam solum habere substantiam simplicem ex parte materiae, ita vt totum compositum in completa substantia subsistat, ita P. Rub. in *Physicis*, q. 4. *art. 1. de substantia*. Vbi tenaciter id affirmat, quia forma corporeae nullam habent substantiam partialem.
- 2 Probatur primo hae sententia, quia per se subsistere dicitur existere sine dependentia à subiecto mediante inhaerentia; sed forma materialis dependet inhaerendo à materia: ergo non habet substantiam per se, & tamen totum compositum subsistit: ergo subsistit tantum substantia partiali materiae.
- 3 Secundo, modus operandi sequitur modum essendi, sed forma materialis non operatur per se, sed dependenter à materia: ergo nec habet modum essendi per se.
- 4 Secunda sententia est P. Valsq. *tom. 1. in 3. part. disp. 125. cap. 4.* asserentis partes substantiales totius physici, subsistere per vnicam indiuisibilem substantiam, quae non sit propria earum, sed totius, ita neque materiae vt est in composito, nec formae rationali correspondeat partialis substantia; hanc sententiam his verbis probat.
- 5 Primo quidem nihil est in toto composito, cui nomen substantiae partialis conuenire possit: ergo antecedens patet, si enim antiquam significationem vocis substantiae retineamus, quae est etiam graecum nomen hypostasis, suppositum ip-

suum concrete denotabat, vt nihil est in composito, quod graece dici possit hypostasis partialis neque latine dici potest duo supposita, vt personae partiales, quod hactenus nemo pronunciarere ausus est: ergo recte nullus dicere potest esse duas substantias partiales.

Secundo, ex definitione substantiae, quia persona est natura rationalis incommunicabilis substantia aut existentia, vt ex mente Richardi Victorini & Seuerini Boëtij patet. Tunc sic, si capiatur pro hypostasi, aut supposito, quia de ratione illius est esse substantia incommunicabilis; ita vt terminata sit modo aliquo, quo reddatur incommunicabilis, quaevis autem pars hominis est communicabilis, quinimo actu communicatur: ergo nulla illarum, vt est in toto, est substantia partialis; si autem sumatur pro complemento naturae, debet subiectum in quo esse incommunicabile, sed materia communicatur formae, & forma materiae: ergo nulla illarum, vt est in composito habet substantiam partialem.

SECTIO II.

Nostri sententia explicatur, & probatur.

PRIMA conclusio: natura non solum subsistit substantia inadquata & incompleta materiae; sed etiam substantia totali, completa, & aduata toti composito: hae sententia est communis sensus Theologorum & Philosophorum, & probatur sic.

Primo, quia totum compositum est substantia completa, distincta realiter distinctione includentis ab inclusio à materia prima: ergo in toto composito, non solum datur substantia materiae, sed etiam substantia totalis, & aduata immediate debita toti distincta, tanquam includens ab inclusio, à substantia materiae; antecedens patet ex ipsis terminis: consequentia sic probatur, quia substantia est complementum proprium aduatum, & proportionatum substantiae, tanquam exercitium, & terminus aduatae terminans, & exercens potentialitatem substantiae: sed substantia materiae non est aduatum & proprium complementum exercitij, ac terminus aduatus immediate totius compositi: ergo non solum datur substantia materiae, sed alia completa distincta ab illa, & propria totius compositi; haec minor sic probatur, quoad primam partem, illud quod competit alteri distincto ab aliquo non potest esse proprium illius; sed substantia materiae competit ipsi quae realiter distinguitur à composito: ergo non est propria totius compositi, quia quod est commune duobus non est proprium vnus ex illis, quod non sit aduata composito, sic patet, quia illud quod est aduatum, & aequale alicui parti, non potest esse aduatum, & aequale toti, quae cum totum sit maius sua parte, si esset aequale toti, & parti, idem aduaretur, & esset aequale simul respectu maioris, & minoris: sed substantia materiae aduatur cum materia, & est aequalis illi, quae est pars totius: ergo eadem substantia materiae non potest aduari cum toto, nec esse aequalis illi; haec minor sic probatur, quia substantia tribuitur materiae à natura in quantum substantia est, & primum subiectum formarum substantialium, sed materia prima aduata, & totaliter est substantia, & primum subiectum.

Deinde nihil est in materia prima cui non adhaereat substantia illius reddendo illud subsistens, & existens per se; item nihil est in substantia, quod non sit modus intrinsecus materiae primae adhaerens, & perficiens illam intrinsece, ita ut aliquid adhaereat materiae in substantia; & aliquid non adhaereat, & ratio est, quia tota substantia adaequate, & totaliter est terminus & modus materiae primae, cum nec sit absolute solum propter se, nec propter aliud distinctum à materia prima; sed solum propter materiam primam perficiendam, & terminandam: ergo adaequate, & totaliter perfectio illius est, & materia adaequate, & totaliter perfectibile ipsius: ergo materia & substantia ipsius adaequantur inter se; unde substantia materiae est aequalis ipsi, quod autem non sit exercitium proprium totius sic patet, quia exercitium dependet in aliquo genere causae propriae, & praecipue substantiae, ut exercitium dependet ab eo cuius exercitium est, in genere causae efficientis, & materialis adhaerens; sed substantia materiae in nullo genere causae dependet à toto composito: ergo non est exercitium illius, minor sic probatur, quia non in genere causae efficientis, cum substantia materiae sit prior natura composito; materia enim prima ut subsistens, constituit realiter compositum & ut subsistens vnitur formae ad componendum totum, sed effectus causae efficientis non habet effectus realiter prius naturae, quam sua causa: ergo substantia materiae non dependet à toto composito in genere causae efficientis, nec in genere causae subiectivae, aut materialis, quia substantia materiae nec adhaeret, nec inhaeret composito, sed solum materiae primae: ergo in nullo genere causae dependet substantia à toto composito: ergo non est adaequatum proprium complementum; & exercitium totius compositi; maior illa prima sic probatur, quia totum compositum quatenus distinguitur distinctione reali includentis ab inclusio à materia prima est adaequate, & totaliter substantia, & est substantia independens à subiecto inhaerentis, & habet potentialitatem subsistendi per se, quia est substantia adaequate creata, sed substantia datur, ut exerceat potentialitatem illam substantiae, ita ut nihil potentialitatis maneat sine complemento, & exercitio subsistendi per se: ergo substantia est adaequatum complementum proprium substantiae completae, & exercitium proprium illius. Patet hæc consequentia, illud est complementum, & exercitium proprium alicuius quod complet proprie & exercet capacitatem seu potentialitatem illius; sed substantia complet, & exercet capacitatem, seu potentialitatem substantiae completae: ergo supposititas, quae substantiae nomine appellatur, est exercitium, seu complementum proprium substantiae completae adaequatamque ipsi.

9 Dices substantiam non solum exercere capacitatem substantiae completae, sed etiam incompletam, scilicet materiae primae, quia materia prima vere existit per se, ac subsistit, quod non potest esse sine substantia.

10 Sed contra, quia licet materia prima petat compleri, & exerceri per substantiam, nihilominus non petit compleri per propriam supposititalitatem, quae in toto intellectu personalitas dicitur, quod adeo verum est, ut etiam si anima rationalis sit vera, & perfecta substantia, perfectiorque materia prima, ac per consequens habeat substantiam, nihilominus non habet supposititalitatem seu personalitatem: ergo supposi-

talitas, seu personalitas est solum proprium complementum, seu exercitium potentialitatis, & capacitatis substantiae completae totalis.

11 Confirmatur, quia compositum quatenus compositum, & quatenus est ens completum, est propria, ac vera substantia, perfectiusque in esse substantiae ipsa materia prima, & non habet suam perfectionem propter materiam primam tantquam propter finem, nec adaequate habet rationem substantiae mediante materia prima; sed potius immediate habet illam ex vi praedicati essentialis substantiae completae identificati cum ipso: ergo substantia, seu supposititalitas, quae debetur substantiae, quatenus substantia completa est, non est substantia materiae primae. Patet consequentia, quia substantia materiae, ut incompleta, & quae datur prius naturae materiae quam composito ut talis est nec adaequate potest constituere compositum in esse substantiae, nec adaequate potest terminare illud in esse substantiae: ergo substantia materiae primae non est quae datur à natura composito ut subsistat ac terminetur. Patet consequentia, quia natura non deficit in necessariis; sed si non tribueret composito, aliam substantiam completam praeter substantiam materiae primae, deficeret in necessariis: ergo. Hæc minor sic probatur, quia complementum & terminatio totius compositi, quatenus substantia completa, est necessaria ipsi composito; acquiritale complementum, & terminatio non esset adaequate, & sufficienter per solum substantiam materiae: ergo si non aliam tribuit natura deficit sine dubio in necessaria terminatione, & complemento, quod autem substantia materiae primae adaequate non sufficiat ad terminandam, & complendam capacitatem totius compositi, sic patet, quia substantia materiae est in sola parte essentiali, quae materia est: ergo solum terminat & complet capacitatem materiae: ergo non potest complere capacitatem totius adaequate; hæc consequentia sic probatur, quia ad hoc ut compleatur aliqua capacitas, & terminetur, debet complementum & terminus esse in tali capacitate, ut adaequate debeat compleri, debet adaequate esse terminus, & complementum essentiae in tali capacitate, seu potentia, quia tale complementum & terminus complet, ac terminant in genere causae formalis, vel quasi causae formalis per exhibitionem sui, forma autem non causat, vel quasi causat, nisi in subiecto in quo est, sed substantia illa materiae non est adaequate, & totaliter in toto composito, sed solum in materia prima, ac proinde inadaequate in eo, scilicet composito: ergo non potest adaequate compleri, ac terminare totum compositum. Exemplo hoc probatur, verbi gratia forma, quae est in una parte ut est albedo in dentibus, non potest totum compositum album reddere, & anima rationalis si in solo brachio existat, non poterit constituere, & adaequate reddere animatum totum corpus, cum ceterae partes illius non habeant albedinem haec tamen capacitatem respectu albedinis: ergo si niliter, si substantia materiae solum est in materia, quae est una pars compositi, & non est in toto composito, non complebit intrinsece, ac terminabit totum compositum, sed solum materiam primam.

Dices, ex eo quod Albedo sit solum in corpore, licet non sit in omnibus partibus, totus homo redditur Albus, & licet intellectus solum sit in anima, quae est pars compositi, totus homo dicitur intellectivus: ergo similiter ex eo solum quod

quod subsistentia sit in materia prima, poterit complere, ac terminare totum compositum, ac reddere ipsum per se subsistens.

13 Sed contra, quia maximum discrimen datur inter accidentia, ac subsistentiam; accidentia enim si corporalia sunt, solum possunt existere in corpore, seu materiali parte, imo toti non debentur, nisi ut existentia in tali parte, quia solum illa pars est capax talium accidentium corporalium, si autem accidentia fuerint spiritualia, debentur solum toti ut existentia in anima, quia solum anima est subiectum capax recipiendi illa, quia omne quod recipitur ad modum recipientis debet recipi, itaque non debentur talia accidentia immediate toti adaequate, & simpliciter, sed mediis partibus, in quibus immediate recipiuntur, & sic non mirum quod existentia in sola parte denominet ac constituat totum, quia forma debet constituere secundum capacitatem, ac exigentiam propriae naturae: atqui subsistentia non solum debetur toti ratione materiae, sed etiam ratione formae, & ratione propriae entitatis compositi; item subsistentia potest, quantum est de se existere non solum in materia, sed in forma: ergo licet accidentia solum existendo in vna parte, possint constituere totum, subsistentia tamen non poterit, nisi existendo in toto & in omnibus partibus adaequate, & totaliter complere capacitatem totius ac reddere ipsum subsistens: haec consequentia sic patet à paritate rationis ex exemplo supra posito, quia albedo potest existere in omnibus partibus corporis, & omnes partes illius sunt capaces Albedinis, existendo solum in vna parte, non constituit ceteras, ac totum corpus Album, cum non sit in toto corpore, ac in omnibus partibus eius, quae habebant capacitatem recipiendi talem Albedinem; sed non solum materia prima, sed etiam omnes partes compositi, imo totum ipsum immediate per se habet capacitatem subsistentiae, ac immediate ipsi, & omnibus suis partibus propter seipsas debetur subsistentia: ergo subsistentia non poterit reddere totum compositum subsistens, nec partes; minor haec probabitur ultima conclusione latissime; nam substantiae ut sic, quatenus substantia est immediate debetur subsistentia, ut distinguatur per illam tanquam per actum secundum ab accidenti, sed materia, forma & compositum sunt substantiae immediate ex se: ergo illis omnibus immediate, & ex se debetur subsistentia, & in ipsis datur capacitas, & potentia ad illam.

14 Secundo principaliter sic probatur, quia subsistentia totius est personalitas in toto intellectuali, & suppositivitas in lapide, & ceteris, & est perfectior realiter subsistentia materiae, subsistentiaque materiae non est suppositivitas, nec personalitas: ergo subsistentia materiae non est per quam subsistit totum compositum. Prima pars sic probatur. Materia prima, ex vi suae subsistentiae, non est suppositum, nec persona, ut certum est apud omnes etiam adversarios: ergo subsistentia materiae non est suppositivitas, nec personalitas, quia forma naturalis statim ac est in subiecto proprio tribuit effectum suum formalem.

15 Prima pars sic probatur, quia illa forma quae habet effectus formales perfectiores realiter, quam alia est perfectior realiter illa: sed suppositivitas & subsistentia totius perfectiores effectus formales habet quam subsistentia materiae: ergo est perfectior materiae subsistentia. Maior patet ex illo Evangelij, *Ex fructibus eorum, &c.* item ideo à posteriori colligimus gratiam sanctificantem

esse perfectiorem Albedine, & animam rationalem forma lapidis, quia effectus formales illarum sunt perfectiores; & ratio est, quia praecipua perfectio effectus sumitur à forma, cum sit praecipua ratio constitutiva, essentialiter effectus formalis. Minor sic probatur, quia compositum totum est omnino independens ab alio, vel tanquam à subiecto inhaesionis, vel tanquam à forma informanti illud, ita ut per se, in se, & ex se existat, & permaneat sine unione, & dependentia à forma, quia ex se cum concursu Dei, & non ab alio creato ex vi suae subsistentiae sufficiens est ut perseveret, & existat, quod minime habet materia prima, quae naturaliter non potest esse sine omni forma, quia nullum est agens naturale quod potest, vel possit separare eam ab omni forma: ergo habet compositum ex vi suae subsistentiae, vel ut clarius loquar, subsistentia in composito perfectiores effectus formales, quam subsistentia in materia prima, praecipue quia eo modo est exercitium, & complementum, seu terminus alicuius quo est entitas, cuius complementum, exercitium, & terminus est; sed materia prima habet pro complemento suam propriam subsistentiam, & est imperfectior essentialiter toto composito, habente pro complemento exercitio, & termino subsistentiam totalem, quae suppositivitas dicitur: ergo suppositivitas, seu subsistentia totalis est imperfectior subsistentia materiae. Maior sic probatur, ideo subsistentia divina perfectior est Angelica, quia est quasi complementum divinae naturae perfectioris Angelicae, & Angelica est perfectior humana propter eandem rationem, & sic de ceteris: ergo complementum eo modo est in perfectione, quo est res quae completur per illam.

16 Tertio sic probatur, quia compositum ut distinctum à materia prima habet omnes conditiones, ratione quarum datur materiae subsistentia propria, quia si materia est subsistentia, totum est perfectior substantia, si materia est independens ab alio tanquam à subiecto inhaesionis, etiam compositum non inhaeret, nec recipitur in subiecto aliquo, & praeterea habet alias rationes perfectiores propter quas ei potius, immediatius & per se debeatur subsistentia quam materiae primae, ut ex dictis patet: ergo habet perfectiorem subsistentiam propriam.

17 Ultimo probatur principaliter, quia sequetur ex opposita sententia propriae, & in rigore solam materiam primam esse substantiam in huiusmodi materialibus compositis, & non formam & consequenter, nec compositum ex materia & forma: patet sequela, quia substantia est quae habet esse substantiale, esse autem substantiale est illud quod natura sua aptum est terminari per subsistentiam, in quo ab accidenti distinguitur, quod per inhaerentiam, vel adhaerentiam solum terminatur; sed sola entitas materiae primae apta est terminari per subsistentiam, non autem compositum ut distinguitur à materia prima, nec forma materialis, cum haec in sententia Patris Rubij terminetur tantum per inhaerentiam ad subiectum, forma enim materialis in sententia huius Authoris vere & realiter inhaeret in materia: ergo sola entitas materiae est substantia, non autem entitas formae, neque compositum ut distinctum à materia.

18 Dices existentiam formae terminari, quasi mediate per subsistentiam materiae, id est existentiam formae in esse materiae subsistenti, & non indigere iam alio subsistente.

19 Contra, quia hoc modo etiam existentia quantitatis terminatur per subsistentiam materiae mediate,

diatē, quia inest materiæ substantiæ, & iam non indiget alio substantiæ.

20 Præterea, quia ratio essentialis accidentis, ve substantiæ non sumitur à mediata, & remota ratione, sed ab immediata, & proxima, sed forma materialis & qui convenit cum quantitate in inhaerentia immediata, & in carentia substantiæ & in substantia mediata: ergo est accedens, sicut quantitas.

21 Nec refert si dicatur indigere consortio formæ, ut esse possit & in materia substantiæ, nam etiam forma materialis indiget consortio quantitatis, sine qua naturaliter, nec esse nec recipi posset in materia: ergo in hoc pares sunt, imo vix potest assignari differentia inter formam substantialem materialem, & accidentalem, quia neutra confert formaliter per se ipsam, seu modum sibi intrinsicum ad substantiam compositam, & utraque confert materiæ aliquid esse actuale, seu formale in quo à materia pendet, utraque in fieri, & in conservari; quæ ergo ratio vel differentia assignari potest, cur una potius substantialis dicenda sit quam altera, neque enim satis est dicere unam habere entitatem substantialem, & aliam accidentalem; tum quia est petitio principij, hoc enim ipsum ventilatur, & negatur esse nimirum formam substantialem, & compositum ex illa esse substantiale; tum etiam, quia genus entitatis non potest aliunde sumi aut declarari nisi ex ipso esse, & modo essendi; si ergo in modo essendi conveniunt, quia utraque aequè pendet à materia ut subiecto, & non magis terminatur à substantiâ, vel ad illam confert una entitas quam alia, non magis est substantialis entitas una, quam altera.

22 Secunda conclusio: hæc substantia totalis componitur ex duplici substantia partiali, scilicet ex substantia materiæ, & substantia formæ.

23 Probatur hæc sententia, quia materia prima habet suam partialem substantiam, quod nullus unquam iure & ratione negavit, tum quia est primum subiectum; ac proinde est independens ab alio, ratione cuius sine dubio illi debetur substantia, vel modus existendi per se, & in se, tum etiam quia est terminus per se creationis, sed omnis terminus per se creationis petit substantiam: ergo materia prima habet illam. Deinde anima etiam rationalis habet substantiam propriam, sed talis materia, & talis anima rationalis ununtur inter se secundum quod substantiæ, & essentiæ sunt, ad componendum unum per se: ergo sicut ex unione essentiæ materiæ, & formæ, seu animæ rationalis resultat una essentia totalis composita hominis; ita etiam ex unione substantiæ materiæ, & substantiæ animæ rationalis resultabit sine dubio una substantia completa totalis quæ supposita dicitur, quæ quia resultat ex duabus partialibus composita erit necessario ad constituendum suppositum etiam completum, & compositum hominis.

24 Dices cum P. Vasquez statum unionis esse oppositum substantiæ, ac per consequens neque materiam, neque animam rationalem ex eo quod unire sint inter se, habere substantias proprias, quæ debebantur illis ex sua natura.

25 Sed contra primo, quia in statu unionis habent materia, & anima rationalis omnes rationes formales propter quas eis debentur substantiæ propriæ: ergo in statu unionis habent has substantias, ac per consequens status unionis non erit oppositus illis; consequentia sic probatur,

quia ubi datur ratio formalis alicuius rei, necessario datur res, quæ debetur tali rationi formali, sed in statu unionis animæ rationalis cum corpore dantur, & concurrunt omnes rationes formales propter quas debentur materiæ, & formæ substantiæ propriæ partiales: ergo in statu unionis dantur substantiæ partiales. Maior sic probatur, ideo in homine datur risibilitas necessario, quia datur in homine rationalitas, quæ est ratio formalis propter quam debetur homini talis risibilitas, & ideo in Angelo datur intellectus, quia datur in Angelo gradus intellectualis, ratione cuius debetur tali Angelo potentia intelligendi, quæ intellectus est, & quia homo habet quantitatem quæ est ratio occupandi locum, ideo necessario homo occupat locum, & ratio evidens à priori est, quia natura ex eo quod sufficientissima est, & dives in suis operationibus, non deficit in necessariis, sed maxime necessarium est, ut posita ratione formali sequatur effectus illius, qui est debitus ad talem rationem formalem: ergo natura non deficit in solvendo hoc debito, sed potius necessario facit, ut statim ac datur aliqua ratio formalis detur id quod debetur propter talem rationem formalem.

Primum antecedens sic patet, quia primario formalis propter quam debetur substantia alicui est ex eo quod sit ens substantiale reale, ut latissime probabitur ultima conclusione, sed status unionis non destruit esse substantiale earum: ergo in statu unionis anima rationalis, & materia sunt substantiæ reales absolute: ergo in tali statu conservatur, & existit prima ratio formalis propter quam debetur rei substantia.

27 Secunda ratio seu ratio formalis propter quam debetur alicui entitati substantia, est independentia à subiecto inhaerentis; ideo enim accedens non habet substantiam, quia dependet à subiecto inhaerendo illi, sed adhuc in statu continuationis, & unionis datur independentia in anima rationali à subiecto inhaerentis, similiter in materia prima, quia tam anima rationalis, quam materia prima adhuc ut unire, & quatenus sunt in statu unionis, independent à subiecto inhaerentis: ergo in statu unionis datur in anima rationali, & in materia prima ratio formalis propter quam eis debetur substantia.

28 Confirmatur, ac declaratur, quia substantia est modus existendi independenter ab alio: ergo talis modus non repugnabit in statu in quo non repugnat existentia independentens ab alio, sed in statu unionis non repugnat existentia independentens: ergo non repugnat substantia in eo statu. Consequentia hæc prima videtur manifesta, quia proprietas comitatur essentiam; sed in composito per te partes habent existentiam independentem ab alio: ergo & substantiam, maxime si per illam constituuntur partes independentes formaliter.

29 Tertia conditio seu ratio propter quam debetur alicui substantia est, quia est terminus per se creationis, sed in statu unionis materia, & anima rationalis sunt terminus per se creationis cum producantur ex nihilo, & non ex præsupposito subiecto: ergo in statu unionis datur in eis substantia.

Quaest. V. Vtrum supposit. compositi, &c. 89

ultima ratio formalis propter quam debetur alicui entitati subsistentia.

30 Secundo sic argumentor contra illam solutionem, quia subsistentia est perfectio debita animae rationali naturaliter. & sic naturaliter in sententia aduersariorum habet illam in statu separationis; item est debita materiae primae: sed perfectio naturaliter debita aliquibus perfectius conuenit illis in statu magis connaturali ipsis, quam in statu praeternaturali: ergo subsistentia perfectius datur in anima rationali, & materia prima in statu vnionis, quam in statu separationis; patet haec consequentia, quia status vnionis est magis connaturalis animae rationali, & materiae primae quam status separationis, qui non vocatur connaturalis, sed praeternaturalis, sed perfectio debita alicui perfectius existit in aliquo subiecto, quando est in statu naturali, quam in statu praeternaturali: ergo subsistentia, quae est perfectio debita materiae primae, & animae rationali perfectius dabitur in illis in statu vnionis, quam in statu separationis, vel alio.

31 Tertio sic argumentor, quia natura non potest pugnare secum, nec una perfectio naturalis pugnare cum altera naturali; sed subsistentia est perfectio debita animae rationali ab ipsa natura, & vnio substantialis est etiam perfectio debita illi: ergo subsistentia, & vnio non pugnant inter se, alias natura tribuendo subsistentiam pugnaret se cum quatenus tribuit vnionem; item quia licet anima informet corpus non subsistentatur a corpore, nec ab illo dependet: ergo quamvis informet illud existit in se, ac per se ratione suae independentiae. Vnde non opponitur, quia vnio illa informatiua longe distincta est ab vnione hypostatice, ut per se constat: ergo non est necesse ut includat naturalem, & formalem repugnantiam cum subsistentia quam inducit vnio hypostatice.

32 Vltimo sic argumentor contra ipsam, quia id quod non pugnat cum actu primo alicuius perfectionis, non potest pugnare cum actu secundo ipsius: sed vnio animae rationalis ad materiam primam, & materiae primae ad animam rationalem, non pugnat cum actu primo subsistentiae earum: ergo non pugnat cum ipsa subsistentia, quae est actus secundus: maior est euident, quia actus voluntatis non pugnat cum intellectu, non potest pugnare cum intellectione, & quia calefactio non pugnat cum luce, non pugnat cum illuminatione, sed calefactio non aliam ob causam non pugnat cum illuminatione, nisi quia non pugnat cum actu primo ipsius: ergo id quod non pugnat cum actu primo non pugnat cum actu secundo; loquor enim de actu secundo semper comitante actu primo, quia non ignoro aliquem actum secundum posse pugnare cum alio actu secundo, non pugnando cum actu primo talis actus secundus, v.g. odium Dei pugnat cum amore Dei, qui est actus secundus voluntatis, & nihilominus non pugnat cum voluntate, quae est actus primus illius, ratio huius est, quia datur duplex actus primus, alius indifferens ad duos actus secundos oppositos, qui actus secundum sunt permanentes, nec semper comitantur actum primum, alias duo opposita permanerent simul in eodem subiecto, & in hoc casu bene potest esse aliquod oppositum actui secundo, sine oppositione cum actu primo, alius autem actus primus datur, qui non est indifferens ad oppositos actus secundos, sed determinatus ad vnum actum secundum adaequate exercentem potentialitatem talis actus primi,

I. P. Tom. II.

comitantemque semper ipsum actum primum, ut est essentia respectu proprietatis. & in hoc casu dicimus nihil dari intrinsece in tali actu primo, oppositum actui secundo illius, quin opponatur actui primo, in quo ut sine aliqua tergiversatione procedamus, sic efformo meum argumentum, nihil opponitur, & pugnat cum actu secundo, siue mediate, siue immediate, quod non pugnet cum actu primo, v.g. nihil pugnat cum proprietate alicuius essentiae, quod non pugnet cum essentia talis proprietatis, ita ut si non pugnet cum essentia siue mediate, siue immediate, non potest pugnare cum proprietate, sed vnio substantialis non pugnat cum essentia materiae primae, & animae rationalis, quatenus substantiae sunt, & est intrinsece in ipsa materia prima, & anima rationali: ergo non potest talis vnio pugnare cum subsistentia ipsarum, quae est proprietas materiae primae & animae rationalis, quatenus substantiae sunt.

Secundo principaliter sic argumentor, quia anima rationalis fit per creationem prius natura quam vnatur corpori; sed tamen in eo instanti in quo vnitur ipsi: ergo manet subsistens dum vnitur corpori, & infirmat ipsum: antecedens est certum & posterior consequentia euident, quia anima rationalis in eodem instanti temporis quo creatur informat corpus, si ergo in illo instanti creatur subsistens simul habet subsistentiam cum informatione, quia non potest in eodem instanti temporis prius natura recipere illam, & illa priuari propter vnionem, quia totum est in eodem instanti reali: hoc enim inuoluit contradictionem scilicet habere subsistentiam, & non habere illam in eodem instanti; vnde si tunc sunt simul in eodem instanti, erunt postea etiam simul, quia nunquam repugnant; prior consequentia patet, quia ut ait D. Th. i. *pari.* creati est proprium subsistentium, & hoc nullo modo potest naturaliter reuocari.

Confirmatur hoc, cum P. Hurt. ex ipsa ratione creationis, quae est productio entis ex nihilo, id est ex nulla causa intrinseca, sed subsistentia est modus existendi independentem a causa intrinseca: ergo materia prima, & anima rationalis, quae fiunt per creationem, ac per consequens ex nulla causa intrinseca habebunt suam subsistentiam.

Pater Vasquez admittit independentiam materiae, & animae rationalis ex vi suae creationis, quibus tribuit subsistentiam in potentia; eam vero negat in actuali compositione: contra quem sic argumentor, subsistentia ex natura sua conuenit materiae primae, quia est independentem a forma, & est modus sequutus ex ea existentia, quia est modus existendi per se, id est independentem a subiecto: ergo eandem retinet cum forma, probatur consequentia, quia illa aptitudo ex natura rei est reducibilis in actum; nulla enim est potentia naturalis ad rem naturaliter impossibilem, sed si materia sub forma, non retineret propriam subsistentiam, nunquam posset reduci in actum illa potentia ex natura rei: ergo vel habet actualem subsistentiam vel caret aptitudine ad illam: probatur minor, quia ex natura rei nunquam potest carere omni forma materia.

Dices ex suppositione quod careat, illam habebit.

Sed contra, quia id, quod sequitur ex suppositione impossibili est simpliciter impossibile, sed illa suppositio est impossibilis naturaliter: ergo & materiam habere subsistentiam est simpliciter naturaliter

M

naturaliter

naturaliter impossibile: ergo non habet potentiam naturalem ad illam; quod vero materia habeat aptitudinem ad subsistentiam, patet quia tam terminus creationis est materia prima quam anima rationalis: si ergo separaretur ab omni forma resisteret in illa: proprie ille modus sicut in anima quia esset independens, & non esset in composito, quæ duæ rationes sunt adæquata causa subsistendi.

38 Vergetur amplius, quia quælibet pars aquæ, verbi gratia, habet propriam subsistentiam partialem distinctam à subsistentia alterius partis: ergo & quævis pars essentialis propriam habet subsistentiam partialem. Consequentia probatur, tum quia magis dissimiles sunt partes essentialiter inter se, quam integrales, atque adeo difficilius est compleri tales partes eadem indivisibili subsistentia; Tum quia ambæ partes sunt in composito, neque videtur cur potius compositio tollat alteri subsistentiam, quam alteri: antecedens probatur, quia quælibet pars aquæ est completa subsistentia essentialiter in ratione substantiæ constantis ex partibus essentialibus; Item nulla pars integralis aquæ dependet ab alia: ergo quælibet est distincta ab alia propriam habet subsistentiam, quia hæc sequitur modum essendi per se.

39 Ultimo sic probatur principaliter nostra sententia ex mysterio Incarnationis; anima enim Christi, à principio creationis sue, & toto suo tempore quo fuit unita corpori, fuit unita hypostatica Verbo diuino propria vnione immediate ex se independenti ab vnione ad corpus, quæ in illa manet, etiam post separationem à corpore, & idem est de materia prima humanitatis: ergo vnio hypostatica animæ ad subsistentiam Verbi, & vnio informatiua eiusdem animæ ad corpus non habent inter se formalem repugnantiam: ergo nec propria subsistentia animæ habet illam cum actuali informatione; imo colligimus certe animal habere subsistentiam in corpore, & corpus dum est unitum animæ, quia Verbum unitur illis immediate, quia immediate debetur subsistentia; nam vnio hypostatica supplet vicem propriæ subsistentiæ, & illam impedit: ergo anima dum est unita corpori habet propriam subsistentiam.

40 Vergetur, & declaratur amplius hoc ipsum, quia Verbum diuinum duplici vnione distincta, hypostatica immediate unitum est, & corpori, & animo, quæ etiam vniones distinguuntur ab vnione hypostatica ad totam humanitatem, siquidem dissoluta humanitate mansit vtriusque vnio ad Verbum, quæ nunquam fuit corrupta, sed in resurrectione illæ partes subsistentes in Verbo fuerunt unitæ: ergo res subsistens, potest uniti. Confirmatur hoc vltimum, quia vel subsistentia est vna simplex existens in vtraque parte, vel diuisibilis, cuius vna pars sit in materia, alia in anima, si hoc secundum asseris meam amplecteris sententiam, primum autem asserere non potes, quia si substantia est modus, non potest identificari cum corpore, & spiritu, nec etiam si sit res absoluta, & non modus, quia subsistentia accommodatur ipsi existentie, ideoque vocatur modus existentie, sed existentia hominis est partim materialis, & partim spiritalis: ergo & subsistentia erit partim spiritalis, & partim materialis, atque non potest esse vna simplex.

41 Vltima conclusio: non solum materia prima, & anima rationalis, sed etiam formæ materiales habent modum subsistentiæ, & probatur sic primo;

Quia vbicumque datur essentia debet dari proprietas talis essentia; sed in forma materiali, verbi gratia, in anima equi datur essentia substantiæ realis: ergo datur in anima equi, & in quacunque forma materiali proprietas talis essentia, quæ est subsistentia. Maior est euidens, quia essentia est actus primus ex quo naturaliter fluit proprietas ita necessario, vt nullo modo possit naturaliter non fluere, quod patet euidentissime in homine, in quo ex eo quod datur essentia propria, scilicet hominis, non potest non dari proprietas illius scilicet risibilitas: & idem est in equo, leone, & cæteris rebus, non propter aliam rationem, nisi propter connectionem necessariam actualem, quæ datur inter essentiam actualem, & proprietatem actualem, ratione cuius nec essentia potest actualiter conservari sine passione, nec passio sine essentia, quis enim poterit dicere, Angelum sine intellectu, & voluntate, ignem sine calore summo, & luce, materiam primam sine quantitate posse aliquo modo conservari, ex quibus euidenter colligitur, quod vbicumque datur essentia, datur proprietas talis essentia.

Minor illa prima sic probatur, quia cuiusque gradui entis, vt distinguitur ab aliis debetur aliqua proprietas, seu attributum, quia cum omnis gradus essentialis sit prima radix, debet aliqua ratio pullulare ex illa adæquate exercens totam capacitatem talis gradus, quæ ratio proprietas dicitur essentia, quod patet euidentissime discurrendo per omnes gradus essentialis prædicamenti, verbi gratia, substantiæ; nam primus gradus essentialis est ens, qui habet tria attributa, scilicet bonitatem, veritatem, & unitatem, gradus corporis habet pro proprietate, quantitatem, & figuram, gradus viuens sensus internus, & generatiuum, gradus animalis sensus externus, & potentiam progressiuam, & tandem homo risibilitatem, leo rugibilitatem, equus inhiabitatem: atqui gradus substantiæ realis vt sic, quatenus distinguitur ab accidenti reali, vt sic est vere gradus essentialis: ergo debetur illi aliqua proprietas, seu attributum; sed non est alia proprietas nisi substantia, vt de se patet, quæ enim alia potest assignari præter illam: certe nulla: deinde quia eo modo est proprietas, seu actus secundus, quo est essentia, seu actus primus: atqui essentia & actus primus substantiæ est ens per se, vt patet ex eius definitione: ergo proprietas illius est modus existendi per se; sed modus existendi per se est subsistentia: ergo substantia est proprietas talis essentia, ac proinde vbicumque dabitur essentia substantiæ realis, & gradus substantiæ absolute dabitur subsistentia; sed in forma materiali, verbi gratia, anima equi datur ratio substantiæ realis: ergo necessario debet dari proprietas illius quæ est subsistentia.

Dices subsistentiam non esse proprietatem substantiæ, vt sic quatenus abstrahit à completa, & incompleta, sed solum substantiæ completa,

42 Contra primo, quia anima rationalis sunt substantiæ incompletæ, & nihilominus competit subsistentia illis: ergo signum euidentis est subsistentiam, non esse proprietatem solum substantiæ completæ. Deinde quia substantia realis vt sic, quatenus abstrahit à substantia completa, & incompleta reali est gradus essentialis, ac proinde actus primus, ac proinde debetur illi actus secundus & proprietas, vt distinguitur ab accidente reali vt sic abstrahente, ab accidente completo, & incompleto; sed non est alia proprietas nisi subsistentia.

substantia, nec potest alia assignari: ergo substantia debetur substantiæ vt sic, communi substantiæ completæ, & incompletæ; sed quicquid conuenit rationi superiori conuenit omni contento sub illa secundum illud principium, dici de omni: ergo competit substantiæ completæ, & incompletæ substantia.

46 Dices verum esse quod substantiæ completæ, & incompletæ, quæ non dependent deberi substantiam, non autem substantiæ incompletæ, quæ dependet à subiecto, vt est forma materialis.

47 Sed contra, & eodem modo vigeo, quia substantia vt sic realis, quatenus substantia est abstracta, à substantia completa & incompleta, dependenti & independenti, est gradus essentialis, & actus primus, sed omni gradui essentiali debetur aliqua proprietas, & aliquis actus secundus: ergo tali substantiæ debetur aliqua proprietas, per quam à posteriori distinguatur ab accidenti reali, sed propter rationes supra positas, non potest dari alia proprietas, nec actus secundus debitus substantiæ vt sic præter substantiam: ergo substantia debetur vt proprietas substantiæ vt sic: ergo debetur etiam omni substantiæ tam completæ, quam incompletæ, tam independenti, quam dependenti: ergo debetur etiam omni formæ materiali, quia forma materialis, licet dependens est substantia contenta sub substantia vt sic, cui debetur substantia, & ex eo quod sit dependens non definit esse substantia distincta ab accidenti, & sic necessario debebitur substantia secundum illud principium iam dictum, dici de omni.

48 Vrgetur, quia forma materialis, quæ substantia realis est, licet dependeat à subiecto est ens per se: ergo peti modum existendi per se, quia modus existendi sequitur essentiam, sed modus existendi per se est substantia: ergo substantia debetur formæ materiali etiam si dependeat.

49 Deinde, quia inter inhaerentiam, & substantiam non est medium, sed substantia dependens à subiecto, non potest habere inhaerentiam: ergo debet habere substantiam; minor sic probatur, quia inhaerentia debetur accidenti reali, quatenus accidens est, nam certissimum est in Philosophia omne accidens reale inhaerere, sed forma substantialis etiam si dependeat, non est accidens reale: ergo forma substantialis etiam si dependeat non habet inhaerentiam: consequentia illa sic probatur, quia substantia illa habet suam essentiam, cui debetur aliquis modus existendi, quia sicut omni essentia competit existentiæ, omni essentia existenti competit etiam aliquis modus existendi, qui necessario debet esse, aut modus existendi inhaerendo, quæ inhaerentia est, aut modus existendi per se quæ substantia est, sed vt probatum est non dari medium inter inhaerentiam, & substantiam inter modum existendi inhaerendo, & modum existendi per se, & illi substantiæ non potest conuenire modus inhaerendi seu inhaerentia: ergo conuenit illi substantia.

50 Secundo sic probatur hæc conclusio argumento primo primæ conclusionis, & ultimo ipsius conclusionis.

51 Tertio probatur, quia sequeretur ex opposita sententia, quod leo, verbi gratia, non sit suppositum completum, quia in tali leone non datur substantia formæ: ergo solum datur substantia materiæ: ergo in ratione suppositi constituitur solum per substantiam materiæ; sed talis substantia est incompleta vt supra probauimus, quia substantia sequitur essentiam, cum autem

essentia materiæ primæ sit incompleta, substantia eius similiter debet esse incompleta, vnde per substantiam incompletam constituitur in ratione substantis; sed quicquid substantia incompleta constituitur, est incompletum suppositum, aut minime est suppositum; suppositum enim supposititalitate debet constare: atqui substantia incompleta non est supposititalitas: ergo leo constitutus per talem substantiam, non erit suppositum, aut si fuerit tale erit incompletum, & non completum, quia eo modo est constitutum, ac est constitutum; sed constitutum talis suppositi est incompleta substantia: ergo constitutum erit incompleta substantia.

Confirmo hanc rationem, quia si substantia materiæ incompleta ex natura sua postulat compleri: ergo absurdum esset, & præter naturæ ordinem, quod in omnibus rebus naturalibus præter hominem maneret sine complemento: sicut ergo essentia materiæ appetit complementum essentia, & existentiæ complementum existentiæ; ita etiam substantia materiæ complementum substantiæ; nam ad hoc etiam natura sua ordinatur: ergo sub omni forma, sub qua naturaliter manet, habet substantiæ complementum; sicut essentia, & existentiæ: atqui tale complementum debet esse substantia partialis ex parte formæ, sicut complementum essentia est essentia partialis formæ, & complementum existentiæ est existentiæ partialis ex parte formæ: ergo omnis forma habet suam substantiam, qua compleatur substantia materiæ.

Quarto sic argumentor, quia in vniuersum modus rei compositæ, qui adæquate, & per se primo afficit totam illam rem vt sic necessario participat compositionem rei cuius est modus, quia non potest aliter intelligi, quod modus intime afficiat totam rem, & omnes partes eius, cum aliqua identitate reali, & sola distinctione modalis; sed in præsentia substantia ita modificat existentiæ totius naturæ, vt etiam modificet omnes partes eius: ergo cum illis simul sumptis identificatur, & ideo necesse est vt includat etiam plures partes, & compositionem inter illas; atqui tales partes debent esse substantiæ partiales non aliæ, nisi substantiæ materiæ & formæ: ergo materia, & forma exhibent suas substantias, vt ex illis resultet totalis substantia composita: ergo prius natura habent suas proprias substantias omnis materiæ, & omnis formæ ex quibus resultat substantia illa totalis composita.

Dices talem substantiam totalem non esse compositam sed simplicem.

Contra, quia vel illa simplex substantia est tota in tota natura, & tota in qualibet parte, aut est tota in tota natura, & pars illius in parte naturæ, aut est tota in sola vna parte, primum dici non potest, quia substantia naturæ equinæ, verbi gratia, est substantia materialis: atqui talis modus essendi totius in toto, & totius in qualibet parte est proprius rei spiritualis, vt animæ rationalis Dei, & Angeli; & sic non potest competere talis substantia materiali, nec potest dici tertium, quia substantia totalis est modus immediate efficiens id quod adæquate constituit; sed constituit adæquate immediate totam naturam, & non aliquam partem: ergo talis substantia totalis non est in vna parte naturæ; sed in tota, sed non est ita in tota vt non sit in partibus scilicet materiæ & formæ vnitæ, quia totum non habet aliud esse, ac habent partes: ergo illa substantia est in tota, & in omnibus partibus: sed

non est modo spirituali, ut diximus: ergo est tota in tota, & pars in parte, scilicet in materia & in forma: ergo subsistentia illa totalis habet partem: ergo non est simplex, sed composita illa subsistentia.

56 Ultimo sic argumentor, quia sanguis Christi Domini fuit vnitus immediate, & proxime Verbo diuino per vnionem hypostaticam, sed si forma sanguinis non haberet subsistentiam partialem, non vniretur totus sanguis immediate Verbo diuino: ergo forma sanguinis habet subsistentiam partialem: maior est ita hoc tempore certa, ut contraria illi sententia non possit sine errore defendi, ut patet ex multis nostra redemptio tribuitur sanguini Christi, tanquam condigno pretio, ad Ephesios 1. ad Colossens. 1. ad Rom. 3. Per fidem dicitur in sanguine ipsius, ad Hebr. 9. quanto magis sanguis Christi, 1. Petri 1. Non corruptibilis auro, & argento, sed pretioso sanguine, &c. 1. Ioannis 1. Sanguis eius Iesu Christi filij emundat nos ab omni peccato, & Apocalip. 7. dicuntur, Sancti dealbasse stolas suas in sanguine Agni, & Luc. 22. ait Christus, hic est Calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effundetur: sed non posset esse sanguis Christi nostrae redemptionis pretium condignum, nisi haberet infinitatem ex immediata, & intrinseca coniunctione, seu vnione cum Verbo: ergo talis sanguis, vnitus fuit illi, quod aperte asserit Concilium Ephesinum, Can. 5. dicens (Verbum aequae, ac nos communicasse carni, & sanguini) & in Epistola Cyrilli, cum Concilio Alexand. & probatur in Ephes. tom. 1. cap. 14. dicitur, verum naturalemque Deum carnem, & sanguinem assumpsisse, & haec omnia referuntur & confirmantur in 5. Synodo generali, act. 6. longe a medio, & fin. Concil. Calcedo act. 1. pag. 33. ad finem, refertur, & approbatur illa explicatio Cyrilli, Verbum caro factum est, id est carnem, & sanguinem sumpsit, & 6. Synodo act. 16. damnatur quidam haereticus, qui dicebat carnem & sanguinem in cruce fuisse dimissa, vbi PP. omnes illius Concilij satis sentire indicant vtrumque fuisse eodem modo assumptum, quapropter act. 8. eius synodi habentur haec verba in professione fidei cuiusdam Macarii factus est in assumptione carnis, & sanguinis, mansit tamen quod erat, verum est illum Macarium fuisse haereticum, quia negabat duas in Christo voluntates, eius tamen professio in hoc solum reijcitur non in alijs, quod apertissime definitur à Clem. VI. in extravaganti, Vnigenitus, de poenitentia, & remissione, vbi dicit vnā guttam sanguinis Christi fuisse sufficiens pretium redemptionis nostrae propter vnionem ad Verbum, & loquitur aperte de vnione ipsius sanguinis, non corporis, ita ut pretium fuerit infinitum ex parte rei oblatæ, & non tantum ex dignitate offerentis; vnde in principio illius Extravagantis praeimitur Dei filium nostrae mortalitatis substantiam diuinitati suae coniunxisse, ut haberet vnde hominem redimeret, & Deo satisfaceret, vbi per substantiam nostrae mortalitatis carnem, & sanguinem plane intelligit, ex quibus omnibus aperte probata manet nostra maior. Minor illa sic probatur, quia si forma sanguinis non haberet subsistentiam, non vniretur Verbum diuinum immediate formae sanguinis, quod manifeste patet: nam eo modo vnita est natura, vel pars naturae Verbo, quo vniretur subsistentiae creatae mediate vel immediate, si esset in proprio supposito; atqui forma sanguinis non

vniretur immediate essendo in proprio supposito subsistentiae propriae creatae, siquidem non haberet illam: ergo non vniretur immediata Verbo diuino, sed solum mediante materia, siquidem sola materia haberet subsistentiam propriam: ergo totus sanguis non vniretur immediate Verbo diuino. Patet consequentia, quia ad hoc vt totum vnatur immediate, debet vniri secundum omnes suas partes; atqui totus sanguis non vnitur secundum omnes suas partes immediate, siquidem non vnitur secundum formam immediatam: ergo non vnitur totus sanguis immediate Verbo diuino; nam sicut v. g. si anima rationalis humanitatis Christi, non vniretur immediate Verbo diuino, sed solum materia prima humanitatem non esse immediate vnitam & similiter, quia albedo, quae est forma constitutiva albi, non est vnita Verbo diuino immediate in humanitate Christi, humanitas, ut a ba reduplicatiue non est immediate vnita Verbo diuino: ergo similiter si forma per quam constituitur sanguis in esse sanguinis in Christo non fuit immediate vni a Verbo diuino, sine dubio sanguis vt sanguis Christi non fuit immediate vnitus Verbo diuino vnione hypostatica; atqui vt probatum est, est erroneum dicere sanguinem Christi vnitum non esse immediate Verbo diuino: ergo dicendum est sine dubio non solum esse vnitam materiam sanguinis Verbo diuino, sed etiam formam illius substantialem, vt aperte asserit D. Th. 3. part. 4. q. 5. sed id quod vnione hypostatica vnitur immediate Verbo diuino, debet immediate in se esse talis natura cui debeatur subsistentia propria: ita vt si non esset vnitum haberet illam, quia vnio hypostatica interrogatur loco subsistentiae propriae: ergo forma sanguinis, quae immediate vnitur vnione hypostatica, debet subsistentia propria: sed forma sanguinis est forma materialis, & dependens à materia: ergo formae materiali ex eo quod substantia est, licet dependeat, habebit subsistentiam propriam.

Dices nos supra asseruisse subsistentiam deberi animae rationali propter independentiam à materia: ergo non consequenter dicimus nunc formam sanguinis licet dependentem habere subsistentiam quia substantia est.

58 Sed contra primo, quia tunc nos loquenti sumus de subsistentia perfectissima debita animae rationali, & proportionata cum entitate ipsius; atqui entitas animae realis ex eo quod spiritualis sit, est substantia omnimodo independentis à materia: ergo subsistentia ipsius debet esse modus spiritualis perfectissimus, ac proinde omnimodo independentis à materia de qua substantia si rationem interroget, quare tam perfectissima debeatur animae rationali, sine dubio huic interrogationi respondebis tribuendo eandem rationem quam supra tradidimus, scilicet ideo subsistentiam propriam deberi animae rationali, quia nimirum est independentis à materia; atqui nunc loquimur de substantia imperfecta debita substantiae imperfectae corruptibili, & dependenti à materia, quae licet dependens sit, nihilominus substantia est, cuius licet dependens debet esse subsistentia: ergo non mirum quod nunc dicamus formam materialem licet dependentem habere subsistentiam, siquidem haec substantia cum sit imperfectior substantia animae rationalis non petit tantam perfectionem, & independentiam sicut petit substantia animae rationalis, quae perfectissima est, ex quo evidenter colligitur non inconsequenter, sed cum maxima consequentia nos loquutos fuisse.

Secundo

59 Secundo contra sic arguuntur, quia ad omnem independentiam substantiae realis, sequitur proprietates illius, quae est substantia, ita ut ad perfectissimam independentiam substantiae realis, uti est anima rationalis, Angeli, & Dei, qui minime pendent à materia sequatur perfectissima substantia, & ad imperfectam independentiam substantiae realis, à tali materia sequatur imperfecta substantia; atqui forma materialis est substantia, & licet dependeat per educationem à materia ratione unionis, & informationis substantialis, nihilominus absolute independens est per inhaerentiam ab illa, quia forma substantialis materialis licet vere, & substantialiter informet, & uniat materiae, minime tamen inhaeret ipsi, quia inhaerentia vera & propria est vnio proprie debita entitati accidentali, & est exercitium proprium, & quasi propria passio accidentis realis; & ideo dum definitur accidens solum dici, est ens quod potest inhaerere in aliquo subiecto, ita ut inhaerentia aptitudinalis sit de essentia accidentis realis, cum autem forma materialis, verbi gratia, anima Equi minime sit aut proprie accedens reale, sed propriissima substantia realis; inde necessario euenit ut non habeat inhaerentiam realem in subiecto, nec dependeat per inhaerentiam à materia prima; ergo absolute habet substantiam.

60 Vrgetur ac declaratur amplius, quia inhaerentia opponitur substantiae ut patet ex D. Thom. 1. part. quaest. 75. art. 1. & 2. & in 4. contra Gent. cap. 2. & contra substantiam etiam opponitur inhaerentia, ita ut cui debetur inhaerentia, non debeatur substantia, nec debeatur inhaerentia cui debetur substantia, & ratio euidens à priori est, quia accidens reale distinguitur, & opponitur substantiae reali, & ideo haec est vera propositio, accidens reale minime est substantia realis; sed potius est imperfectius realiter & essentialiter illa, sed inhaerentia est debita accidenti reali, tanquam proprietates illius in tota sua latitudine, ita ut ad inuicem conuertantur, & sic vere dicimus est accidens: ergo potest, & debet inhaerere, debet vel potest inhaerere; ergo est accidens: ergo debet opponi proprietati, & actui secundo debito necessitate substantiae reali, quae nihil aliud est nisi substantia, ut patet ex dictis. Tum sic, forma substantialis materialis est substantia realis, ratione cuius habet essentiam oppositam, & distinctam essentiae accidentis realis: ergo non debet habere inhaerentiam. Patet hoc manifeste, quia actus primus perfectior altero actu primo, & essentia opposita alteri essentiae non debet habere proprietatem imperfectioris essentiae, nec debet habere actum secundum, quem habet actus primus sibi oppositus: sed inhaerentia est actus secundus, & proprietates accidentis realis, quod est imperfectius realiter, & essentialiter forma substantialis reali materiali, & quasi oppositum ipsius: ergo non debet habere inhaerentiam forma substantialis materialis realis, sed potius oppositam proprietatem & perfectiorem ipsa inhaerentia; atqui nulla alia est proprietates opposita, & perfectior essentialiter inhaerentia, quam possit habere forma substantialis realis, ex eo quod substantia realis sit, nisi substantia: ergo forma materialis realis habet propriam substantiam, quia habet rationem formalem, à nobis supra peritam, scilicet independentiam per inhaerentiam à subiecto, propter hanc solum cuiusque substantiae reali debetur propria substantia, & propter hanc concessi supra materiae primae, animae rationali, & toti composito substantiam; cum

autem haec eadem independentia per inhaerentiam conueniat etiam omni formae substantiali reali, si consequenter loquendum sit, necesse est, ut conueniat illi substantia propria, quia ubi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis, propter quam rationem non approbo sententiam Pater Suarez 2. tomo materiae h. disput. 34. sect. 5. num. 42. asserentis nullam formam substantialem corpoream habere substantiam, licet habeat modum quemdam ex natura rei distinctum ab ipsa forma completiui substantiae materiae, & constitutiui suppositiuitatis compositi.

Contra quem sic insurgo, quia talis modus est modus existendi per se, sed substantia est modus existendi per se: ergo talis modus est substantia. Maior sic probatur, quia talis modus est modus existendi, sed non est modus existendi inhaerenter, ut nuper probauimus: ergo est modus existendi per se. Deinde, quia talis modus est ad existendum eo inodo quo petit forma substantialis, sed forma substantialis; quia substantia realis est, petit existere per se: ergo talis modus; qui datur ad existendum, datur ad existendum per se; patet hoc, quia hic modus sequitur existentiam cuius est, & existentia sequitur essentiam: sed essentia formae substantialis in quantum substantia est, est essentia entis per se: ergo existentia eius debet esse existentia per se; & talis modus debet esse modus existendi per se.

Secundo sic arguuntur, quia talis modus habet omnes proprietates substantiae: ergo est vera substantia: antecedens sic probatur, quia prima proprietates substantiae est ut sit modus substantialis, sed talis modus etiam est substantialis: ergo est substantia. Secunda proprietates est, ut terminet substantiam realem independentem per inhaerentiam à materia: atqui talis terminat formam, talis modus quae est substantia realis, quae non dependet per inhaerentiam à materia, licet dependeat per unionem, ac informationem substantialem ab illa: ergo habet secundam proprietatem substantiae. Tertia & vltima proprietates substantiae partialis propria est, ut sit constitutiua suppositiuitatis, & ut componat substantiam completam: sed ille modus formae substantialis complendo substantiam materiae primae constituit, ac componit substantiam completam equi, verbi gratia, vel alterius completi compositi substantialis, quae vera, & propria suppositiuitas est: ergo talis modus habet etiam hanc vltimam proprietatem substantiae cum reliquis: ergo habet omnes proprietates illius: ergo habet propriam essentiam substantiae, quia id quod habet omnes proprietates alicuius, habet etiam essentiam illius.

Dices cum Patre Suarez supra citato, num. 43. non esse necesse ut omne id ex quo aliquid componitur participet rationem, vel denominationem totius. Vt non quicquid componit lineam est linea, nec omne id quod componit hominem est homo, si pro parte loquamur; sic igitur non quicquid complet substantiam totius, est substantia etiam incompleta, sed est terminus quidam vel modus complens substantiam; itaque fate-mur inquit Suarez substantiam integram naturae omnino materialis componi ex partialibus modis materiae & formae; dicemus tamen modum materiae esse partialem substantiam, non tamen modum formae, quia modus materiae est quasi primum fundamentum, seu basis totius substantiae talium rerum,

64 Sed contra, quia secundo datur compositio seu constitutio alia, quæ pertinet ad universalem rationem substantiæ ut sic, altera autem quæ pertinet ad particulares rationes contentas sub tali ratione substantiæ, de prima constitutione, seu compositione certissimum est, quicquid sit de secunda esse quasi homogeneam, seu ut melius loquar eiusdem rationis, & denominationis in toto, & composito ac in partibus, ita ut ratio totalis composita sit eiusdem denominationis cum partibus. Pater hoc evidenter in omni constitutione ad substantiam ut sic pertinet, & primo incipiendo ab essentiali constitutione totius substantiæ, siue illa sit integralis, siue essentialis; integralis enim aliquomodo potest dici pertinens ad essentialiam, quatenus comparatur cum compositione existentiali, & subsistentiali, quia hæ constitutiones absolute extra essentialiam substantiæ solent vocari, cum fiant ex existentia, & subsistentia, quæ moti substantiæ sunt, & non substantia, compositio autem integralis non fit ex modis substantiæ, sed ex ipsis partibus substantialibus, quæ substantiæ sunt realiter, & veræ, & sic ex essentiali ratione substantiæ fit, id est ex veris entitatibus, quæ vere, & realiter habent essentialiam substantiæ, & in hoc sensu dicimus aliquo modo, & possumus dicere talem compositionem posse vocari essentialiam, nam compositum integrale substantiale est eiusdem rationis, & denominationis cum suis partibus, & sic tota aqua est vera substantia, sicut & partes eius, nam pars aquæ vera, & realis substantia est; item in homine caput, & manus tam veræ, & reales substantiæ sunt, sicut totum corpus hominis. Quid enim dicam de compositione essentiali, qua componitur ex materia, & forma totum substantiale, in qua sine dubio sumendo, ut debet sumi hic denominatio substantiæ, & ratio entis per se eiusdem denominationis est totum, ac sunt partes; nam si totum est vera, ac realis substantia, etiam materia & forma sunt vere, & realiter substantiæ: ergo in hac prima constitutione substantiæ compositum est eiusdem denominationis substantialis, ac sunt partes eius.

Secunda compositio datur intra rationem substantiæ materialis, quæ Metaphysice secundaria dicitur in illo genere, quia non est per ipsum gradum substantiæ, quatenus substantia est, sed per existentiam substantiæ, & in hac etiam compositione existentiali totum est eiusdem denominationis cum partibus in ratione existendi: nam si totum est vere realiter ac substantialiter existens, id est vere, & realiter extra causas, ita etiam partes siue essentielles, siue integrales, vere & realiter substantialiter sunt existentes, id est vere, & realiter sunt extra causas: ergo quæcumque compositio pertinet ad rationem substantiæ corporeæ ut sic, quatenus ad illam rationem pertinet, est talis naturæ, ac conditionis, ut totum resultans ex vi illius compositionis sit eiusdem rationis, & denominationis cum suis partibus: atqui ratio substantiæ, quatenus substantia est, non est proprietas alicuius rationis inferioris, contentæ sub substantia ut sic, quatenus particularis ratio est, v. g. ut est risibilitas respectu hominis, inhabilitas respectu equi, & rugibilitas respectu leonis: sed potius est proprietas substantiæ, ita ut substantiæ, quatenus substantia realis est formalissime, & adæquate conveniat, imo si convenit inferioribus substantiæ, non convenit illis propter rationes particulares ipsorum, sed

potius propter rationem communem substantiæ, quam in se continent: ergo in compositione substantiæ totum compositum erit eiusdem rationis, & denominationis cum partibus, quia patet manifeste in substantia completa hominis, quæ substantia absolute dicitur sicut etiam substantia animæ rationalis, quæ est pars substantiæ absolute, & simpliciter substantia dicitur, sicut substantia etiam materiæ primæ, ex qua tantum ex parte constat substantia propria, & absoluta dicitur, item substantia totalis aquæ, quatenus totum integrale est, dicitur proprie, ac simpliciter substantia, & eodem modo substantiæ dicuntur substantiæ partium ipsius aquæ, ex quibus tota substantia aquæ confurgit: sed substantia completa aquæ, & substantia completa leonis, quatenus leo totum essentialiter est, & quatenus substantia illa totalis illius componitur ex substantia materiæ primæ, & ex modo animæ ipsius terminantem animam leonis, est vera compositio substantiæ, non debita leoni secundum rationem differentialem ipsius, sed illi debitam secundum substantiam est corporea in quo gradu continetur, ut in essentia: ergo talis substantia composita debet esse eiusdem rationis, & denominationis cum partibus, ita ut non solum ipsa totalis substantia sit vera substantia, taliterque vere appelletur, sed etiam substantia materiæ primæ, & substantia animæ illius vere, & proprie substantiæ appelletur, ratio autem huius duplex est, prima quia proprietas sequitur essentialiam, sed essentia composita ex essentia formæ leonis, & ex essentia materiæ primæ illius, est ita eiusdem rationis, & denominationis cum partibus ut si tota vocatur vera essentia substantialis, etiam essentia partiales vocentur veræ essentia substantiales: ergo etiam compositio proprietatis illius essentia, quatenus substantia est, debet esse ita homogenea, ut sit eiusdem denominationis in illa tota proprietate composita, ac partes ex quibus constat, sed proprietates substantiæ compositæ leonis est substantia composita illius: ergo talis substantia debet esse ita homogenea, ut denominetur eodemmodo, ac partes illius, ita ut si tota sit vera substantia, etiam partes veræ substantiæ vocentur.

Secunda ratio est, quia gradus metaphysicus quem sequitur substantia, siue sit substantia ut sic, siue sit substantia corporea nullam habet heterogeneitatem in se, sed ita est indivisibiliter substantia, ut quicquid est in illa sit vere substantia sine aliqua dissimilitudine: ergo substantia quæ sequitur illum gradum, ita erit homogenea in ratione substantiæ, ut quicquid sit in illa, & ex quo illa componitur sit vera substantia sine aliqua heterogeneitate, & dissimilitudine in ratione substantiæ: atqui substantia illa componitur ex modis materiæ primæ, & formæ leonis: ergo tales modi sunt veræ & proprie substantiæ partiales.

Secundo sic argumentor, quia falsum est quod asserit hic Author nimirum, non omnem partem componentem lineæ esse lineam; nam in substantia linea componitur in infinitum ex partibus proportionalibus longitudinis, vel ex partibus aliquotis, homogeneis quidem cum tota linea: sed partes homogeneæ sunt eiusdem rationis, & denominationis cum toto: ergo partes illæ componentes lineam sunt lineæ, sicut quia partes tam proportionales, quam aliquotæ aquæ sunt vere aquæ, sicut totum compositum ex illis, verum tamen est quod aliquid terminet lineam, &

& non sit linea, sed talis terminus non componit lineam, quia talis terminus non est pars illius, quia supponit iam totam lineam compositam, & completam, quia talis terminus est extremum illius lineae: omne autem extremum terminans aliquid est extra essentiam rei, supponitque iam essentiam completam, & constitutam in suo esse, ratione cuius nec est eiusdem rationis, nec denominationis cum linea; esset autem eiusdem rationis, & denominationis si componeret entitatem lineae; atqui modus formae leonis, non terminat substantiam completam leonis, supponendo illius adaequatam compositionem, & constitutionem; sed potius per illum modum constituitur, & componitur substantia illa totalis in esse substantiae: ergo modus ille est vera, & propria substantia.

Deinde secundum exemplum quo utitur de homine, non est ad rem, quia talis compositio non pertinet ad gradum substantiae ut sic, de cuius ratione ut supra probauimus, est ut habeat homogeneitatem, ac in partibus, sed potius pertinet ad speciem infimam contentam sub substantia, quae propter suas differentias, & perfectiones petit heterogeneitatem in toto respectu partium, & sic est verum, quod materia prima licet componat hominem non sit homo, quod contra euenit in compositione substantiae ut sic, in qua certissimum est, ut quicquid componit substantiam ut vera pars sit vera substantia, sicut totum, sed compositio substantiae pertinet ad substantiam compositam in quantum substantia est, & non ad hominem ut homo: ergo ita componitur substantia, ut sequatur proprietates substantiae in homogeneitate, quia ad talem gradum substantiae sequitur. & non ad rationem hominis: ergo non bene valet argumentum, a compositione hominis ut sit heterogenea, ad compositionem substantiae, siquidem ut dixi talis compositio substantiae non sequitur compositionem hominis, ut homo est in qua necessario petit heterogeneitatem, sed potius sequitur compositionem substantiae, ut substantia est, in qua necessario requiritur, ac exigitur omnimoda homogeneitas, & similitudo inter totum, & partes.

67 Ultimo argumentor labefactando rationem ipsius; nam tota ratio quare substantia materiae sit propria substantia, & substantia formae materialis, non sit talis, est quia substantia materiae est quasi primum fundamentum seu basis totius substantiae talium rerum, & non innititur alteri, ut subiecto, quod minime habet substantia formae materialis, cum non sit fundamentum, & basis totius substantiae, sed potius innitatur tanquam in subiecto substantiae materiae; atqui si haec ratio Patris Suarez, aliquid probaret, probaret etiam substantiam animae rationalis, non esse propriam substantiam; nam substantia animae rationalis non est primum fundamentum, seu basis totius substantiae, ut est substantia materiae primae, & ex alio capite substantia animae rationalis subiectatur in substantia materiae primae, ut ipse Pater Suarez, num. 43, affirmat, dicens substantiam animae rationalis vniui tantum actum in potentia substantiae formae, actus autem recipitur, & subiectatur in sua potentia tanquam in subiecto proprio, & sic anima rationalis licet sit spiritalis, & independens a materia, recipitur tamen tanquam in subiecto in ipsa, quia est actus substantialis & essentialis illius, sic similiter substantia animae rationalis licet sit in-

dependens a substantia materiae primae, nihilominus subiectatur illa ex Patre Suarez, & recipitur, & innititur illi ut subiecto; unde omnia, quae ex vi medij, & argumenti Patris Suarez, concurrunt in modo formae materialis; at hoc ut non sit proprie substantia concurrunt etiam, & reperiuntur in modo animae rationalis, quare si illo argumento probatur substantiam formae materialis non esse veram substantiam, probabitur etiam eodem argumento, eritque efficax illud ad demonstrandum substantiam animae rationalis non esse veram substantiam: atqui nullo modo est efficax ad probandum id in anima rationali: ergo eodem modo non potest esse efficax ad probandum substantiam formae materialis non esse proprie substantiam, quia non est maior ratio vnius, quam alterius, si recte medium argumenti P. Suarez ponderetur, & ratio euidentis est, quia cum substantia materiae sequatur materiam, & materia sit primum fundamentum totius substantiae, non mirum quod substantia ipsius sit primum fundamentum substantiae totius; sed ex hoc non debet argui, dicendo: ergo substantia formae non est proprie substantia, quia non est primum fundamentum totius; alias bene etiam argueretur: ergo substantia totalis, quae supposita dicitur, non esset vera substantia, quia non est fundamentum totius substantiae, ratio enim substantiae non eodem modo est, nec debet esse in omnibus substantiis; licet vere substantiant, in materia enim substantia illius habet veram rationem substantiae materialis, quia est quasi potentia recipiens aliam substantiam, ac proinde quia est fundamentum, & quasi basis totius substantiae; & contra vero substantia formae est substantia formalis, & vera substantia, non propter eandem rationem; sed potius, quia complet ut actus substantiam materiam actuando, & perficiendo illam, constituendoque, & componendo totalem substantiam, nam cum substantia formae non sequatur materiam, sed formam, & forma non sit forma substantialis, quia sit fundamentum, vel basis substantiae totius, hoc enim competit materiae primae, & non formae, sed potius, quia ut actus substantialis complet, perficit, & aequat potentialitatem materiam, & complendo illam componit substantiam totius, sic similiter substantia formalis, seu substantia formae, quae proprietas illius & exercitum talis formae est, non debet esse substantia propria, propterea quod sit fundamentum totius substantiae; quia hoc pertinet ad substantiam materialem, sed potius quia ut actus perficit, aequat, & complet substantiam materiam, & complendo illam constituit substantiam adaequatam totius, nec ex eo quod substantia formae innitatur, & subiectetur in altera definit esse vera substantia, sicut forma materialis non definit esse vera substantia ex eo quod innitatur substantiae materiae, sic similiter modus eius, non definit esse substantia, ex eo quod innitatur substantiae materiae, siquidem substantia, ut proprie substantia sequi debet necessario verae & propriae substantiae relati, ut est forma materialis etiam si nittatur materiae primae, tanquam subiecto.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria soluantur.

68 **A**D primum argumentum concedo maiorem, & nego minorem, ut patet ex supra dictis latissime.

Ad secundum concedo maiorem & distinguo minorem, non operatur per se, id est separata concedo, non operatur per se, id est non influendo per se, aut ut substantia ratione cuius debetur illi substantia nego. Deinde distinguo secundam partem minoris, dependenter à materia per inhaerentiam nego, per informationem substantialem concedo.

69 Ad primum secundae sententiae negatur antecedens, ad probationem illius negamus conuerti hypostasim, & substantiam, substantia enim latius patet quam hypostases, anima enim rationalis in sententia P. Vasquez subsistit separata, & tamen non habet personalitatem; unde bene potest forma materialis habere substantiam partialem, licet non sit hypostasis partialis.

70 Ad vltimum ipsius dicimus substantiam esse complementum partium secundum se, cui non repugnat vno compositi. Ad illud vero de incommunicabilitate postea latius dicetur, dum de effectibus formalibus supposititalitatis, & substantiae dicemus.

QVÆSTIO VI.

Virum substantia possit existere diuinitus sine omni substantia.

SECTIO I.

Sententiae aduersariorum proponuntur.

1 **P**RIMA sententia negat naturam substantialem posse existere adhuc diuinitus sine omni substantia, ita P. Fonseca, & alij.

2 Probatum primo, quia quantitas non potest esse sine omni figura, & linea sine omni indiuisibili terminatio, licet possint esse absque hac, & illa figura, absque hoc vel illo termino: ergo licet natura possit esse absque hac & illa supposititalitate non poterit esse absque omni adhuc diuinitus.

3 Secundo sic probatur sicut se habet inhaerentia in accidenti, ita se habet substantia in substantia, sed ablata in accidenti inhaerentia statim confurget in illo modus per se: ergo ablata in natura supposititalitate propria necessario succedet loco illius supposititalitas aliena.

4 Tercio sic probatur, quia si natura conseruaretur sine omni substantia, & supposititalitate, conseruaretur sine illa per actionem positiuam à Deo, sed hoc est impossibile: ergo impossibile est, ut conseruetur sine omni substantia, maior est evidens, quia omnis terminus creatus quomodocunque sit, si conseruatur, debet conseruari à Deo media sua actione, & medio influxu diuinæ omnipotentiae: sed omnis influxus, &

actio diuinæ omnipotentiae est actio, & influxus positiuus: ergo si conseruaretur sine omni substantia diuinitus natura deberet conseruari media actione, & influxu positiuo. Minor illa prima sic probatur, quia omnis actio positua tendens ad aliquem terminum debet habere aliquod specificatum positiuum, sine quo non potest illo modo esse talis actio; sed conseruatio illa ex vi cuius conseruaretur substantia, sine substantia nullum haberet specificatum formale positiuum, quia in illa natura solum datur entitas illius naturae, quae est quasi obiectum commune, & materiale respectu huius, & aliarum actionum; praeter hanc autem entitatem solum datur respectu huius actionis ut proprium negatio quadam, quae independentia à supposito dicitur, quae ut negatio supposititalitatis non potest esse specificatum proprium actionis posituae: ergo talis actio positua non posset terminari ad illum terminum, ac proinde non posset conseruari talis entitas cum negatione omnis substantiae.

SECTIO II.

Nostri sententia proponitur, & alia dubia ad substantiam pertinentia expediuntur.

Prima conclusio: bene potest esse, & conseruari per potentiam Dei absolutam, natura creata sine omni supposititalitate: hac est communior hac tempestate, & probabilior sententia.

Probatum sic primo, quia omnis effectus secundarius formae, vel quasi formae potest suppleri à Deo in genere causae efficientis per potentiam absolutam, sed conseruatio animae à supposititalitate est effectus secundarius illius: ergo poterit suppleri à Deo in genere causae efficientis per potentiam suam absolutam; maior sic patet, quia ideo potest Deus suppleri effectum conseruationis substantiae à quantitate sine ipsa quantitate per potentiam suam absolutam, quia est effectus secundarius illius; item in sententia aduersariorum potest conseruari materia prima sine omni forma substantiali per potentiam Dei absolutam, licet conseruatio illius naturaliter deberet esse effectus causae formalis, & hoc quia est effectus secundarius. Deinde expulsio albedinis à subiecto, & expulsio frigiditatis ut octo, sunt effectus secundarij nigredinis, & caloris, & quia tales sunt possunt suppleri à Deo per potentiam Dei absolutam, quod adeo verum est, ut inter omnes catholicos Philosophos, tanquam certissimum, ac verissimum discrimen constituitur inter effectum primarium, ac secundarium formae, ut ille nullo modo possit suppleri à Deo, hic vero sine dubio suppleatur ab ipso diuinitus: ergo Deus potest suppleri quemcunque effectum secundarium formae.

Minor praecipua sic probatur, quia ille est effectus secundarius alicuius formae, qui consequitur ad primum, & non est eiusdem denominationis cum forma, ut videre est in expulsionem caloris respectu frigiditatis, & in conseruatione materiae respectu formae accidentis respectu substantiae essentiae respectu proprietatis, secundarius enim effectus vocatur, quia supponit primum, primarius enim effectus cum includat essentialiter ipsam formam est eiusdem denominationis cum ipsa, ita ut effectus habeat denominationem in concreto, quam forma habet in abstracto, & sic album est effectus formalis albedinis.